



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 4. Quid est Codicillus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

*Not.* Testator tenetur hæredes instituere in portione legitima descendentes, & his defici-entibus ascendentis, nisi justam ex hæredandi causam habeat: unde hi dicuntur hæredes ne-cessarii.

**Q. 3. Quinam testari non possunt?**

*Resp.* 1. Qui carent usu rationis, ut infan-tes & perpetuò amentes. 2. Filius-familias. Si tamen pubes sit, potest testari de bonis ca-strensis, & quasi castrenis ad quaslibet causas, & de adventitis ad pias causas: sed cum Patris consensu, ex cap. 4. de sepult. in 6. 3. Servus. 4. Religiosi solemniter professi. 5. Prodigi post interdictam administrationem. 6. Qui commiserunt aliquod crimen, cui jure annexa est talis poena, & morte damnati. 7. Clerici de bonis Ecclesiasticis, cap. 9. de Te-stam. in multis tamen locis consuetudo est contraria, sed semper tenentur de iis in piis causas disponere: nam juxta communem sen-tentiam tenentur jure divino naturali ea bona toto vitæ tempore sic impendere. Quare nulla consuetudo, nec potestas humana potest eos excusare, vel dispensare.

**Q. 4. Quid est Codicillus?**

*Resp.* Est scriptura continens ultimæ volun-tatis dispositionem circa ea, quæ quis vult fieri post mortem citra hæredis, seu legatarii uni-versalis institutionem. Adhibetur ad legata, ac fidei-

ac fidei-comissa relinquenda, vel ad aliquid explicandum aut mutandum circa testamentum. Ad ejus valorem sufficient quinque testes licet non rogati, nec requiritur, ut testator manu propria subscribat,

**Q. 5.** *Quænam notanda sunt circa Legata?*

*Resp.* Sequentia. 1. Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator particulare donum ab hæreditate selectum directis verbis alicui relinquit, sumitur etiam pro ipso dono sic relieto.

2. Legata solvi debent ex justitia statim post aditam hæreditatem, & ex hoc legatarius acquirit eorum dominium. Quare si executor testamenti negligat ea solvere, tenetur de danno inde secuto: nam peccat contra proprium officium in damnum alterius; executor enim constituitur ad præstandum id omne, quod testator fieri voluit: qui autem peccat contra proprium officium ad alterius commodum spectans, peccat contra justitiam. Si nullus sit constitutus executor, tenetur hæres: nam hæreditatem acceptando se obligavit implicitè ad præstanta onera ei annexa.

3. Legatum transmittitur ad hæredes legatarii.

4. Legatum sub modo factum obligat ad modum illum observandum, si modus sit in utilitatem tertii, vel legantis; quia tunc testator præsumitur voluisse ad eum obligare: se-

Oo 5 cus,